

cæteraque victoriam polliceri . Ad eam oppugnationem 1473
Venetus iturus , Lodovicum Lombardum Venetum cum
decem triremibus ad Corycum mittit , ne quid com-
meatus a mari oppidanis subveheretur . A continenti
Caramanus cum suis copiis hostem urgebat : ad Sichinum
reliqua classis admota , oppidumque oppugnatione ten-
tatum , ob situs asperitatem capi non potuit . Eo suc-
cessu oppidani elati , in Venetos pedem referentes in-
vecti : *Ite , inquit , Veneti , & mari & piscibus*
imperate : continentis imperium Othomano relinquit .
Tentavit per caduceatorem Venetus Mustapham ad vo-
luntariam deditionem trahere , hortatus , ut Venetam
fidem potius quam arma experiri vellet . Tum , quia
a pace barbarus omnino abhorrebat , oppidum gravi
oppugnatione adortus , bellicis machinis a parte boreæ
statutis , quoniam muros disturbare cœpisset , territum
hostem ad deditionem compulit . Mustapha cum suis
abire permissio , oppidum Venetus Hisupho Caramani
præfecto tradidit . Inde quum ad Corycum rediret ,
Zancius regiæ classis præfectus cum decem triremibus
illi medio cursu occurrit . Alluitur Corycus duabus
partibus marino fluctu : reliquum a continenti profun-
dissimam habet fossam , duplici undique muro valla-
tam : portus illi ab occasu æquinoctiali est , cujus
aditum ipsa mœnia ab omni injuria defendunt . Eleu-
sia insula ad austrum trecentos inde passus albo qua-
dratoque lapide munita adjacet . Loci naturam ali-
quanto prius ex summa puppi Venetus contemplatus ,
mox dat suis ad irrumpendum signum ; ad quod per
crebros bombardarum ictus & tela , dextra lævaque ca-
dentia , triremes portum occupavere . Copiis inde in lit-
tus expositis , Mocenicus mittit , qui a præfecto ur-
bis sciscitaretur , an , deditione facta , vellet inde abi-
re : a quo quum ferociter responsum esset , non Mu-
stapham , virum imbellem , illic esse , sed eum qui
regiæ cohortis militibus ad urbis præsidium missis præ-
fici meruisset . Turcorum Principum mos est , ex omni
capti-